



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monvmenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illvstrandam,
Nvnqvam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

In Epistol. Ll.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

fol. 100. v. 12.

Angilberto) qui gener Caroli M. sanctitate clarus, Anno postea monasterij S. Ricarij in Centulo, quod ipse construxit, De patre suo & matre Bertha filia Caroli M. Nithardus lib. 4. de dissensionib. filiorum Ludouici pij hæc: Angilbertus vir memorabilis Cétulo translatus, & anno post decessum eius XXVIII. corpore absq; aromatibus in dissoluto repertus est. Fuit hic vir ortus eo in tempore haud ignotæ familiæ. Madhelgandus autem, Richardus, & hic ex vna progenie fuere. Et apud magnum Karolum merito magni habebantur. Qui ex eiusdem magni Regis filia nomine Beretha Harnidum fratrem meum & me Nithardum genuit. Centulo opus mirificum in honore omnipotentis Dei sanctiq; Ricarij construxit, Familiam sibi commissam mirificè rexit. Hinc vitam cum omni felicitate defuncta. Centulo in pace quieuit. Vide ep. 27. 49. 56. 59.

13. Primicerio) Multorum officiorū primicerij erant, ut tribunorum, cubiculariorū, mensorū, lampadariorum, decanorū, fabriciorum, seriniorum, vtriusq; ararij, palatinorum, aduocatorū: & generaliter qualibet corpora, schola, collegia suum primicerium habent, quod primum sonat. Hinc S. Augustinus S. Stephanum Martyrū primicerium, & Baldricus Dolensium Archiepiscopus in historia Ierusaleno S. Petrum Apostolorum primicerium vocat. Vide Alciatum in lib. 12. C. tit. 7. & Alcuini ep. 25.

19. Pipinum) filium Caroli M. Regem Italiae, de quo ep. 9.

IN EPISTOL. LIII.

fol. 101. v. 18.

Aerico Duci) Ehericum appellant Annales Francorum, anno 796. & 799. Ducem Foroiuliensem, qui priori anno Hunos vicerit, posteriori iuxta Tharsaticam Liburniæ ciuitatem, in oppidanorum, occisus sit. Egolismensis monachus in vita Caroli M. vocat Eenticum & Heiricum.